Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26554
Copyright: Admont, Benediktinerstift

QUINTE declinationis genitivus et dativus singularis in ei divisas proferunt. ut huius et huic rei. Accusativus in em. ut hanc rem. Vocativus similis est nominativo. ut o res. Ablativus in e producta. ut ab hac re. Nominativus et accusativus et vocativus pluralis eidem declinationis in es exeunt producta. ut hee et has et o res. Genitivus adiecta rum syllaba ablativo casui singulari re. fit ut ab hac re. harum rerum. Dativus et ablativus in bus. ut his et ab his rebus. Hec quidem compendii causa ad instruendos pueros sufficiunt in presenti dixisse. Perspicationem autem regularum rationem tam penultimarum quam ultimarum syllabarum que ad omnium pertinent nominum declinationes in VII libris quos de nomine scripsimus invenire licet. et maxime in sexto et in VII. quos de nominativo et obliquis compositi multorum testimoniis utuntur auctorum.

PRONOMINA de quibus nulla dubitatio est sunt apud latinos quindecim. Primitiva quidem octo. hec sunt. Prime persone unum. ego. secunde unum. tu. Tercie vero VI. sui. ille. ipse. hic. iste. is. Dirivativa VII. meus. tuus. suus. noster. vester. nostras. vestras. Habent quidem primitiva duas declinationes. Dirivativa vero tres. et una quidem primitive est declinatio. que tantum genitivum quam dativum in I terminat. accusativum et ablativum in e producta. ut ego. tu. mei. tui. sui. mihi. tibi. sibi. me. te. se. a me.